

montis et qualis ascensus, qui cognoscerent, misit. Renuntiatum est facilem esse. De tertia vigilia Titum Labienum legatum cum duabus legionibus et iis ducibus, qui iter cognoverant, summum iugum montis ascendere iubet; quid sui consilii sit ostendit. Ipse de quarta vigilia eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit equitatumque omnem ante se mittit. Publius Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur¹ et in exercitu Lucii Sullae et postea in Marci Crassi fuerat cum exploratoribus praemittitur.

¹consider.

VI.

Caesar prepares for battle with the Helvetii (Caes., Bell. Gall., I., 24).

Postquam id animadvertit, copias suas Caesar in proximum collem subducit, equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quattuor veteranarum, ita uti supra se in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime¹ conscripserat, et omnia auxilia collocaret, ac totum montem hominibus compleret; interea sarcinas in unum locum conferri et eum ab his, qui in superiore acie constiterant,² muniri iussit. Helvetii cum omnibus suis carris³ secuti impedimenta in unum locum contulerunt; ipsi confertissima acie, reiecto nostro equitatu et phalange facta, sub⁴ primam nostram aciem successerunt.

¹very recently. ²had taken up their position. ³cart. ⁴up to.

VII.

Caesar marches against the Belgae (Caes., Bell. Gall., II., 2).

His nuntiis litterisque commotus Caesar duas legiones in citeriore Gallia novas conscripsit, et inita aestate, in interiorem Galliam qui deduceret, Quintum Pedium legatum misit. Ipse, cum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. Dat negotium Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant, uti ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiores faciant. Hi constanter omnes nuntiaverunt manus cogi¹, exercitum in unum locum conduci. Tum vero dubitandum² non existimavit, quin ad